IOANNIS PEDIONEI CON-ſtantini, in D. Stephanum Hymnus, ad Vuolfgangum Epiſcopum Patauienſem.

EIVSDEM ELEGIA, AD Georgium Loxanum.

INGOLSTADII
excudebat Alexander
Vueiſſenhorn.

Anno M. D. L.

IOANNIS PEDIONEI CONſtantini, in Diuum Stephanum martyrem Hymnus, ad Reuerendiſsimũ Principem, Vuolfgangum Epiſcopum Pataueienſem, & comitem a Salmis.



T te ſancte puer, caſu qui merſus acerbo
Primus es æthereum teſtatus funere regem,
Accipio, amplectorq; animis, & pectore toto?
Quandoquidem ingentem meruiſti primus honorem
Aſtriferi ſupra ſinuoſa cacumina cœli.
Conſpicuam ſtellis, nitidoque adamante coronam.
Ite graues curæ procul hinc, procul ite dolores:
Et quæcunque premunt miſeras incommoda mentes
Protinus aërij diſcerpant irrita uenti:
Nunc Stephani proprias læti libamus ad aras.
Et magnam tenui properamus carmine famam:
Vix patris ætherei mandans oracula terris
Vnigena proles infenſæ crimine gentis
(Infandum) & noſtras perſoluens ſanguine pœnas

Lethiferos Erebi cursu tranauerat amneis.
Infernasq; domos ualido tremefecerat ictu,
Atque iterum ad Superas ingens euaserat arces:
Cum, sibi quos olim multis e millibus heros
Legerat & comites operum, fatique ministros,
Attoniti casu tanto, ac formidine gentis
Vitabant aestus populique, urbisque furentis,
Dum fera tempestas tumidas effunderet iras
Multa uolutantes secreta ualle latebant.
Ecce autem noua lux coelo demittitur alto
Per terras, decus aeternis memorabile seclis.
Nanque puer prima signans lanugine malas.
Isacides clara nomen testante corona,
Siue Dei monitu, sanctaeue cupidine mentis
Intrepidus Heroas adit, limenque salutis
Consulit, authorisque Dei praecepta reposcit,
Exquiritque, auditque uiros, coelumque recepit.
Protinus umbrosae mentem liquere tenebrae,
Et caligantem posuerunt lumina noctem.
Lux oculis noua, lux animo diffunditur ingens.
Ille Deum uocat, ille Deum procumbit adorans,
Vnum tergemino collaudans nomine numen.
Iamque Deo propiore tumens, & numine plenus
Ibat ouans, cunctisque nouum decus ore ferebat,
Veridicum oraclum, & summi mandata tonantis:
Progeniemque canit, propriae quam ingrata salutis
Gens fera, gens stimulis Furiarum ultricibus acta

Infandam ad pœnam crudeli funere mersit.
Hinc magnum exitium cœlo terraque parari,
Horrificamque luem cunctis Acheronte moueri,
Mortis inexhaustum miseræ illætabile regnum:
Ni quas immani scelerarunt crimine menteis,
Pollutasque manus infanda morte piarent:
Ni poscant ueniam nati pro cæde parentem,
Agnoscantque suum regem: tum fonte salubri
Abluerint ueteris commissa piacula culpæ.
Denique ni cursus alio rectore gubernent,
Omnia præcipiti mox euertenda ruina
Euroque, Zephyroque, & agentibus æquora Cauris.
Sin uero antiquo soluissent crimine mentes,
Et dolor, & pietas, & fassæ tædia culpæ,
Acciperentque pium lustrato pectore numen:
Tum uero augustum imperium, sine fine futurum
Sedibus æthereis, ignique potentis Olympi,
Stellanti in solio, mollem qua Lactea cliuum
Semita ducit, opus magni immortale Tonantis.
Hic illos cœli indigetes fore cum magnis Dijs.
Tantum, ait, humanos pietas diuina labores
Respicit, & summo Superum dignatur honore.
Hæc monet, adiungitque preces, cursumque moueri
Imperat, & classem Christo iubet auspice ferri.
Vel mare per medium, tumidis qua murmurat undis.
Quippe sub hoc nullæ casum timuere carinæ,
Non Hyadas, magni non motus Orionis,

Non Zephyros, Caurosque, & agentes æquora nimbos.
Hoc duce seruati plaudunt ad littora nautæ
Et gaudent uiridi classem redimire corona.
Multa etiam ueterum reserat penetralia uatum,
Non quos aut uanæ delusit fabula Cretæ:
Aut quos Arcadiæ gelidis in montibus, aut quos
Impia damnârum sceleratis Orgia sacris.
Sed quos ipse pater, summas cum linqueret arces
Edocuit, legesque dedit, monumentaque fixit,
Sanctaque perpetuis uictura uolumina seclis:
Quæ populos omni laté ditione tenerent
Addictos pietate noua. Hunc scilicet esse
Cuius ab auspicijs tener in cunabula mundus
Ceperit, & generis primordia surgere nostri;
Quicquid & illa potens rerum natura gubernat
Præterea rerum uarias ex ordine causas
Exequitur, totamque implet sermonibus urbem
Mirandis: quos nec Fauni, uatesque canebant,
Nec quondam ex adytis fallax Cortyna reclusit
Fatidicis curanda ferens oracula Delphis.
Panditur æterni secreta potentia cœli,
Illum admirantur pariter iuuenesque, senesque,
Primoresque uirûm, & mixta cum plebe Senatus.
Qui nondum immersas penitus caligine mentes
Inuidiæ torpent furijs, nec pectore toto
Proiecere bonas sanctis cum moribus artes,
Illum admirantur superûm præcepta canentem,

Ante annos animumque uiri, curamque gerentem.
Pars tollunt cœlo, & diuinis laudibus æquant
Effusi studio, atque auidi narrantis ab ore
Dependent, uersique animum in meliora retorquent,
Et iam multa cohors Christi pia numina adorant.
At non insanos posuit gens aspera fastus
Pontificum, ardesunt animis clamore frementes
Horrisono, ac media iuuenem statuere corona.
Tum quibus est Solymi custodia credita templi,
Et qui sacra docent non æquo sidere uates.
Mortalis quibus ingentem sapientia famam
Extulerat, scelerum artifices, ac uana tumentes
Pontifices contrà statuunt, populique furentis,
Accendunt stimulis uerborum haud mollibus iras..
Hij freti humanis opibus, populoque secundo
Quantum animis, quantum arte ualent, mortalia telá
Expediunt contra diuini fulmina uerbi.
Haud aliter, quàm si duri in certamina belli
Mars uocet æratas acies: aut impia rursum
Telluris manus æthereo contendat olympo:
Arma armis cumulant, & montes montibus addunt.
At pater omnipotens illos pro talibus ausis
Fulmine præcipitans nigranti in nocte chorusco,
Vulneraque ingeminans imo deturbat Auerno.
Hîc quos Aegyptus uarias celebrata per arteis
Edocuit, quos Cyrene, quos cerulá Crete
Phœnicesque; Arabesque, Indique à sole perusti

Stant contrà obnixi ingenio, & mortalibus armis.
Sed frustra. quid enim humanæ sapientia mentis
Quidque acies, sensusque ualent? quid lactea fandi
Copia contra animum diuinis artibus auctum?
Maior agit Deus, & maioribus instruit armis
Spiritus æterno donans sua munera cœlo.
Ille sonans magno ore uiris incumbit & instat,
Nectere non fraudes, nec inexplicitos labyrinthos
Insinuare bonus (uani quæ gloria uulgi
Lubrica) sed causis melior, sed pondere rerum,
Et recti, uerique tenax. his uertere fraudes
Artificum quascunque potens, uelut imber ab alto,
Torrentis uel more ruit: seu fulmen Olympo
Dum cadit, horrescunt trepidantia corda tumultu.
Sic ualidis urgens hostem sermonibus heros
Ingruit insultans, & lubrica tela repellit.
Illi autem incassum tenuis effundere uoces
Vix trepidi sine mente sonos, & inania uerba
In uentos, atque in pelagus procul irrita iactant,
Telaque non æquis intendunt uiribus acta.
Ceu quondam in somnis fallenti nocte uidemur
Conserere arma uiris, & uulnera multa sagittis
Dirigere, aut auidi rapidos intendere cursus:
Cùm subitò in media cæcæ formidine noctis
Deficimus, uanisq; elusi uiribus ægri
Concidimus: non dextra ualet: non gressus euntis,
Nec uox clamanteis sequitur: non corpore uires,

Non animo: tantùm solita mens fluctuat ira
Multa uolens, uanisq; furens conatibus hæret.
Tum uerò ut pugna trepidos succumbere uates
Pontifices, turpemq; fugam agnouere suorum,
Nil actum ingenio, nil fraude, nec arte magistra:
Sed contrà iuuenem maiori numine ferri,
Ardenteisq; notant uultus, oculosq; loquentis
Sidereos: qualis nocturnos Lucifer igneis
Maiori inter luce micans supereminet omneis:
Non tamen insanis ardens fiducia cessit,
Exuperant magis, hinc pudor, hinc dolor, iraq; mentes,
Et metus acer agit. sed qua ui tendere contra?
Qua tentent ratione, quibusue lacessere telis?
Illinc numen agit: hinc uincere nulla potestas.
Tandem, quod superest, scelere ingrediuntur, & astu:
Crimina confingunt nulli credenda: nefandos
Insinuant testes: tentant periuria linguæ,
Perfidiam dextræ, scelus illætabile mentes.
Ah genus infelix hominum, tu fallere Diuos
Sperasti? tunc æthereas periuria mentes
Fas etiam cælare putas? sed nequid inausum
Nequid inexpertum maneat scelerisq;, doliq;,
Accendunt populi Furijs authoribus iras,
Iamq; faces ipsi, iam sæua incendia miscent
Primores, falsisq; agitant terroribus urbem:
Ni iuuenem ad pœnas infanda morte reposcant.
Nec mora consurgunt animi, magnoq; tumultu

Seditio exoritur: ceu cum Notus ardua tollit
Aequora, tempestas furit atris horrida nimbis.
Illicet arreptum medijs é mœnibus urbis
Illusum exturbant iuuenem, rapiuntq;, ruuntq;
Perq; uias, perq; inuia, & angustas conualles.
Campus erat, Solymæ quem spectant desuper arces,
Quà pinguem latè iactat uicinus arenam
Iordanis, Ierichosq; rigans superenatat agros,
Horridus immensa lapidum tum mole rigebat.
Hic subitô insurgit (miserum) manus omnis in unum
Adglomerantq; uices, & densos ictibus ictus
Ingeminant, totasq; irarum effundere habenas
Præcipites certant. lapidum pluit horrida grando
In caput innocuum, & tempestas saxea nimbos
Terribileis agit: inscribunt fera marmora frontem:
Ah dolor, & tenero stillant de corpore riui
Sanguinis, obstructos quatit æger anhelitus artus.
Excipit os cœlo, tamen imperterritus heros
Ingentem uidet ingenti cum prole parentem.
Agnoscit procul & nostræ monumenta salutis
Spiculaq;, clauosq;, & inenarrabile lignum.
Quadrifidæ crucis, èque polo discedere nubeis
Prospicit auricomas, totòque effulgere cœlo,
Accipit, agnoscitq; Deum. tum uoce uocauit
Ingenti, Hanc animam mitis, precor, accipe cœlo
Hanc animam pater, æternæ spes una salutis,
Vna quies tecum, dixit, simul inclinato

Poplite succumbens. Precor ò miserere nocentum
Omnipotens, meritas tali pro crimine pœnas,
Si fas, auertas miseris. & talia fatus
Supremum expirans animam cœlestibus auris
Reddidit, illa procul liquidum per inane uolando
Optato patris in gremio suscepta quieuit.
Hic uerò auditæ uoces, auditus & ingens
Exoritur clamor, (terris mirabile monstrum)
Atq; tubæ, atq; arma sonant strepitantia cœlo.
Scilicet æthereis ingens exercitus alis
Ibat ouans, lætumq; patri Pæanà canebat,
Ingeminant plausumq; pium, fremitumq; secundum,
Ante pedes magni celebrantes festa Tonantis.
At uerò socij exanimes mortalia curant
Funera, & ingenti statuunt cum mole sepulcrum.
Fit gemitus, fractæ plangunt ad littora uoces.
Audijt in cœlum fama celeberrimus amnis
Roranteis udo tollens è gurgite uultus
Iordanis, mœstas iterumq; iterumq; querelas
Ingeminans Christumq; uocat, Stephanumq; salutat,
Ter plangens Stephani, ter magni funera Christi:
Increpat horrisono gentem simul ore nefandam.
Excepere undæ sonitum, & uicina reclamant
Aequora, tum syluæ, & montes, fluuijq; sonabant
Tollentes medio notißima nomina cœlo.
At te quis tantas Solyme furor egit in iras?
Infelix Solyme, scelerum quæ tanta cupido

Præcipitem in proprias clades, tua funera mersit?
Túne Deum, regemq́; tuum, natumq́; Tonantis,
Terrarum, maris, & cœli, rerumq́; parentem,
Promissum tibi, quem sanctorum oracula uatum,
Tot ueterum monumenta uirûm, tot dedita cœlo
Signa, tot indicijs monstrans Natura probauit?
Túne Deûm atque hominum uitam, lumenq́;, salutemq́;
Infandam ad pœnam meritis pro talibus ausis
Corripere? aut iuuenem diuinis artibus auctum,
Dicta tibi æterni regis præcepta canentem,
Totq́; alios animo & præstanti nomine uates
Traxeris ad lethum diris cruciatibus? ô gens
Infelix Solyme. ô miseris gens debita fatis.
Nonne uides pestem, non hinc tibi dira parari
Supplicia? en patrijs immissum mœnibus hostem
Mox capta aspicies, heu quæ tunc funera cernes?
Tunc gemitu, lacrymisq́;, & fœmineis lamentis
Proxima complebis latè loca. corruet omnis
Vrbs Solyme proprijs uix agnoscenda ruinis
Gens tua terrarum, quantum patet, acta per orbem
Diuersa exilia ignotis patietur in oris:
Immemor heu decorisq́; sui, & uirtutis auitæ
Exiget indignum culpandis artibus æuum:
Tristis, iners, rerum omnium inops, ignara salutis
Nescio qua pascet falsa dulcedine mentes
Venturi quondam reparanda in secula uatis,
Auxiliumq́; Dei nequicquam in uota uocabit.

Sed tu diuinos crudeli funere honores
Promerite ó uenerande puer, nouus incola cœli
Si quando placido miserans mortalia uultu
Aspicis, ô uotis uenias non asper amicis:
Seu tua te Solyme notis tenet hospita terris,
Iordanisq; sacra siccas tua uulnera lympha:
(Nam te olim indigenæ memorant uidisse per undas
Iordanis primo mœstum sub sole querentem)
Siue tui potius terra cultrice teneris:
Crudeleis fuge mox terras, fuge littus iniquum,
Heu fuge pollutas indigno funere sedes:
Nunc tua te lætis melior Germania templis
Illa colit, multusq; adolet tibi thura per aras.
Hic ubi terrarum per pinguia culta uolutus
Germanas Pataui muro discriminat arces
Danubius, medioq; tumens interluit aluco,
Nec procul Austriacas Boijs secat urbibus urbes.
Hic tibi Salmorum ueteri de gente creatus,
(Salmorum Comitum, Ticini mœnibus olim
Nomina, nunc magnis Europæ cognita terris,
Horret adhuc, mutoq; animos à nomine pulsat
Gallia, terribileis formidant Pannones arcu,
Barbarus & tumidas retro fugit Ister in undas)
Hic sacer Antistes Patauinas temperat arces.
Virtutisq; memor patriæ, nec laudis auitæ
Immemor æternos renouat tibi laudis honores:
Solennem que diem lætus colit omnibus aris.

Hic tibi, dum tacito fulgebunt sidera mundo,
Dum uaga cæruleo labentur flumina ponto,
Dumq́; uices rerum atq; hominum natura tenebit,
Semper honos, laudisq; tuæ decora alta manebunt.
Tu facilem nobis orando redde parentem,
Hoc tantum. feret auxilium mortalibus ægris
Omnipotens pater, & cœlo miserabitur alto.
Ille malas hominum pestes, morbosq;, famemq́;
Auferat, & quodcunq; nefas, dirumq; timetur,
Tot scelerum facies, mala tot, causæq; malorum
Heu uarias lacrymis causas, procul impia bella
Impia bella procul nostris exterminet oris.
Tum quæcunq; premunt miseras incommoda gentes,
Massagetas ultra & Leleges, Taurumq́;, Niphatemq́;,
Vltra Arabesq;, Scythasq;, ultra Garamantas & Indos,
Quasq; furens cœli premit inclementia terras,
Seu flagrante Noto, gelidoue Aquilone remotas,
Efferat, & nostris pacem ferat undiq; rebus:
Vnanimis redeat Pietas, amor omnibus idem
Numinis, atq; ardens studium uirtutis auitæ.
Hæc rogat, hæc illi tribuas non irrita dona
Omnipotens pater, atq; pijs allabere uotis.

FINIS.

IOANNES PEDIONEVS CHRIstophoro Zingelio S. P. D.

CVm librum meum de Diuinis laudibus edidissem, neq; hoc tēpore prætor sexillos Hymnos, quicquā in isto genere perfectū haberē, nescio quo animi affectu cōmotus sum, ut in Diuū quoq; Stephanū & primū, & nobilißimū Christi militē, aliquid perscriberē, quod cœteris adiungi cōmodè posset. In quo equidē non tam id sum ueritus, quod dici poterat, magis hic tritam uiam me secutū esse: (plures enim extare in Diuū Stephanū Hymnos editos à uiris doctißimis nouerā) quàm quod idem argumentū, post illa Italiæ lumina Bembū atq; Vidā longo interuallo tractandū sumpsissem, summis illis & diuinis uatibus nullo modo cōparādus. Sed perrexi tamē, quò me animus meus, mensq; ipsa rapiebat: in quo equidē quantū perfecerim nescio: magnā certè & in cogitando, & in scribēdo uoluptatē ipse percepi: istius que Hymni, quod affirmare possū, planè præ cæteris mihi iucūda cōfectio, et amabilis uisa est, quod ego instar esse cuiusdā præmij duco. Habet enī huius argumēti ratio, præter alias cōmoditates, læticiam in bonis, cōsolationē in rebus aduersis, ipsáq; animi impetus, & perturbationes importunas quadā ratione cōponit & coercet, neq; à Dei agnitiōe, rerùmque cœlestiū amore patitur euagari. Hæc sentiet, quicunq; pia in Deū, diuosq; mēte similia aut scripserit, aut legerit. Verùm ego cū huic quoq; lucubratiōi meæ patronū quærerē nulla ambitiōe (Deū testor immortalē) sed iustis de causis

sis motus iniuria præsertim istorũ et hominũ et temporũ, quibus nihil tam incorruptũ, tamq; sanctũ à quoquã dici, aut scribi potest, in quod nõ improborũ, atq; inuidorũ, quorũ plena sunt omnia, temeritas incurrat & audacia, uolui Stephanũ meũ ad R. Pr. Vuolfgangũ Episcopũ Pataviensem mittere: Idq; multis de causis feci, cũ quòd argumentũ personæ mihi Episcopi conuenire uideretur: tũ quòd inter Episcopos nostrates, quorũ hodiè non paucos, in maximi spe prouectus Christianæ doctrinæ atq; pietatis, habet nostra Germania, hic eximiũ locũ obtinet. Cuius præter excellentes animi dotes, studiũ insigne pietatis, cõcordiæq; Christianæ, & præcipuũ quendã religionis cultum, talis quoq; doctrina est, ea in literis omnibus præstantia, quæ in istius ordinis hominibus uix facilè solet inueniri: quod ego onamẽtũ ita in Principe uiro, ut in auro gẽmã elucere puto. Tibi autẽ has literas scripsi, cũ uirtutis atq; doctrinæ merito excitatus tuæ, tũ dignitatis etiã tuæ causa, et eius loci, quẽ in magna gratia apud Patauiẽsem Episcopũ obtines: de quibus mihi Erasmus Vuolfius uir & dignitate præstans, & eruditiõe sæpe narrauit. Cuius quidẽ cõsilio & cõmemoratiõe factũ est, ut tibi hãc meã lucubratonẽ, meq; ipsum potius cõmendari maxime uellem, deinde ista per te reuerendißimo Principi tuo. Quæ tamẽ commendandi, si nulla erit grauior causa tibi uisa, uel hæc, ut opinor, erit nõ iniusta, quod ego in hoc scribendi genere profectus ab Rege meo, omniũ regũ optimo, cæterisque princibus, et sapientißimis, & doctißimis, in hoc ordine neminẽ habuerim, quem Principi tuo præferendũ putarim. Vale. Ingolstadij, Ipsis Natalib. M. D. XLIX

IOANNIS

PEDIONEI CONstantini, ad nobilißimum Equitem Georgium Loxanum Elegia in funere L. Braßicani.



RGO ego flebilibus natus Loxane querelis
Vsque teram uitæ tempora dura meæ?
Nec potis est uarijs curarum mersa procellis
Mens mea Pieridum dulcia dona sequi.
Quæ mihi uix tenuem sacro de fonte liquorem
Nunc tribuunt: uastus cætera pontus habet.
Quo modò iactati uentos toleramus & imbres,
Dum natat in medio fessa carina freto.
Dumq; sub auspicijs Hyadum, & trucis Orionis
Naufragij solis spes manet in tabulis.
Vt sileam, qui nunc uexat mea corpora morbus:
Nec tantum capiti tußis iniqua meo est:
Pulmo simul tremulis circum præcordia fibris
Interclusa tumens organa uocis habet.

Et quatit afflictos heu tristis anhælitus artus,
Cumque meo aßiduè pectore bella gerit.
Vsus abest linguæ, penitus dum uocis adempta est
Gratia, quæ solito non sinit ore loqui.
Nec sinit Aönidum dulces inuisere cœtus.
Nec dare Apollineo carmina grata choro.
Nec mihi commissam studio excoluisse iuuentam
Nunc licet, officio nec satis esse meo.
Quæ, dum uox aderat, nunquam defessa uoluptas
Et fructus alijs, & mihi quanta tulit
Gaudia? seu ueterum euoluens monumenta uirorum
Pacis opus niueæ, seu fera bella cano.
Conor & occultos rerum penetrare recessus,
Naturæque uias arte iuuante sequi.
Seu cultus uitæque placet, linguæque Latinæ,
Nitimur Ausonij reddere uerba fori.
Barbariemque omnem studijs depellere nostris,
Cunctaque splendori restituisse suo.
Nunc autem malè tot curarum exercitus undis
Corporis atque animi tædia mille fero.
Ignosces igitur nostro Loxane dolori.
Ingenium auspicijs qui uetat ire suis.
Nec tibi Musarum iucundos promere fœtus
Nunc sinit. aut meritis digna referre tuis.
Illa quidem, meliora meis si fata Camænis,
Fulserit & studijs mitior hora meis.

Perpetuis

Perpetuis coner scribendo intexere chartis,
Quæ bona Posteritas, Famaque nôrit anus.
Nam referam Musis, illæ sine fine loquentur:
Implebuntque illis Solis útranque domum.
Nunc saltem hæc miseras inter malè scripta querelas
Carmine temporibus conueniente legas.
Et te communis tangit dolor, & tua fas est
Cum desiderio tristia ferre meo:
Solandique modum, tristesque euoluere casus:
Carminis hæc finis, hoc caput huius erit.
Nam tibi quàm fuerit constanti iunctus amore
Braßica, quàm sancta cognitus ille fide,
Cognita Dijs Superis, nec magnum ignota per orbem
Fas erit hæc ullos præterijsse dies.
Qui nunc (heu rigidi quàm dira potentia fati)
Nudus Læthea corpora lauit aqua.
Braßica nunc, Parcæ uestrum scelus, inuia uiuis
Regna petens meritum concidit ante diem.
Nondum illi canos signans à uertice crines
Succeßit tremulo curua senecta pede.
Vt crudus uiridi decerpitur arbore fœtus:
Vt crescens subita mergitur ignis aqua
Braßica, Pierides decus inuiolabile uestrum,
Mortuus Elysij concidit amnis aqua.
Prò facinus uestrum Diuæ, crudelia nentes
Stamina non ulli dissoluenda pio,

Non ueſtras potuere colus, non penſa morari
Tot bona, quæ ſecum ſuſtulit una dies?
Illius ingenium præclaris artibus auctum
Fas erat Armenias flectere poſſe feras:
Fas erat eloquium, quondam quod Roma probaſſet,
Regnante in medio uel Cicerone foro.
Illaque tergemina præſtans ſapientia lingua
Debuerat merito tutior eſſe ſuo.
Tum iuſti, rectique tenax, legumque ſacrarum
Cognitio æternos digna mouere Deos.
Sed neque uirtutes tot in uno pectore, nec tot
Ingenij atque animi præmia iuncta ſimul
Fatalem potuere diem, & fera penſa morari:
Omnia ſunt uno pene ſepulta rogo.
Quòd ſi nulla feras potis eſt inflectere Parcas
Relligio, & duro ſtant adamante uiæ:
Si reges, regumque trahunt genus impia fata:
Nec reuocant homini, quem ſtatuere diem:
Saltem illi miſeræ gemitus, ſaltem ille moueret
Coniuge pro rapto coniugis acer amor.
Illa ſui deflet lethum miſeranda mariti,
Et lacerat teneras imbre madente genas.
Vt pia defleuit fatum crudele mariti
Aemonis Aemonij Laödomia ſui.
Vt fratres ſciſſisque patres Caſſandra capillis:
Andromache utq; ſui fleuerat oſſa uiri.

Quin etiam tremulis ululatibus æthera complet
Et queritur mutis heu sua damna locis.
Flens noctem, flens sola diem, lucemque perosa
Concitat immaneis per nemora alta feras:
Illa mouet tigres, & seuas illa leænas,
Illa etiam lacrymis effera saxa suis.
Illam nunc Nymphæ lugent in montibus altis,
Et tener in syluis cœtus Hamadryadum.
Sed frustra Nymphæ nemorum, pelagique potentes
Solantur: nullis flectitur illa modis.
Nulla uenus, non ulli animum solantur amores:
Nec quæ sola potest tristia ferre dies.
Longa dies aufert cunctos medicando dolores,
Exiliumque docet, seruitiumque pati:
Longa dies hominumque genus consumit & urbes
Et, quod ubique uides, auferet una dies.
Cur non his tristem uerbis curatis amici?
Nanque dolor morbi non negat artificem:
Et uos æquales, agrestia numina, Nymphæ,
Quæ nemora, irriguas quæque tenetis aquas,
Neu sinite indignis miseram intabescere curis:
Neu sinite insano perditam amore mori.
Nil tali est in morte mali: non ille malorum
Supplicia æterna morte luenda luit.
Elysium cœleste colit, sedesque beatas:
Cumque Deo ueris uescitur usque bonis.

Non mors his, ſed uita locis. ſed amœna piorum
Hoſpitia, & ſolis inuia regna malis.
Hîc Pax alma uiget cœtu comitata Sororum,
Ipſa gerens olea tempora cincta pia.
Cui comites & blanda Quies, & amica Voluptas:
Gaudiaque, & caſto pectore natus Amor.
Omnes hæ uiſu faciles, & ueſtibus albis
Corda gerunt prima candidiora niue.
Hîc habitant, quicunque Dei præcepta ſecuti
Eiecere animò numina falſa ſuo.
Quique boni, caſtique uias fugere malorum:
Quique animum ſtudijs excoluere pijs.
Linquenteſque malas artes, & inania uulgi
Gaudia perpetuis poſthabuere bonis.
Aurea queis uirtus animos erexit Olympo,
Canàque cum caſta relligione fides.
Omnes hi ſcelerum ignari, culpamque peroſi
Hæc loca felices poſt ſua fata tenent.
Hic quoque Nympha tuus; uitam ſinè fine beatam
Inter habet Manes non leuis umbra pios:
Braßica ſtelligeri conſcendens culmen Olympi
Viuit: & æterni uiuit in arce poli.
Hoc pietas, hoc priſca fides, hoc conſcia recti
Mens dedit, & ſummo pectora iuncta Deo.
Quid dubitas? hic pone metus: hic ſiſte querelas.
Incipe nunc animo liberiore frui

Illius ætherei partem tenet aurea cœli
Machina, qua sola uiuere parte datum est.
Corporis at partem tellus tenet: altera famæ
Pars uolat, & toto nomen in orbe uiget.
At tu tam pulchra, & tam multa prole beata es.
Effigiem cuius cernis ab ore uiri.
Hoc decus, hæc monumenta uiri, curamque doloris,
Nec leue perpetui pignus amoris habes.
Ille autem nunc quanta tenet, quot gaudia cœli,
Gaudia non ullo dissoluenda die?
Hic uidet æternos fœlici sidere Manes,
Quotque uidet, magnos tot putat esse Deos.
His illi pater, his frater succurrit in oris
Cinctus Apollineæ frondis uterque coma.
Hic adeo dulci permulcent pectora cura.
Dum notus memori mente resurgit amor.
Velius hic etiam ueniens sua fata recenset,
Velius Istrinæ nobile crimen aquæ.
Carolus hic casta redimitus tempora lauro
Personat aurata carmina culta lyra.
Zinckius Aönidumque pius, Phœbique sacerdos
Naturæ pandit, quicquid in orbe latet.
Rhynerus, dignumque trahens ab Apolline nomen
Gryneus, meritis præmia digna ferunt.
Hic Eobanus, & Hutteni pallentis imago,
Pro patriæ uisus qui sibi laude rapi.

Ambo animis, ambo insignes præstantibus ausis
Aönio referunt carmina grata choro.
Tum quos Ausonijs uates cognouerat oris,
Nunc uidet Elysio post sua fata frui.
Hic princeps culto ingenio supereminet omnes,
Ceu Veneris reliquas lucida stella faces:
Actius & calamis, & plectro insignis eburno,
Solus perpetuo digna Marone sonat.
Hic comes Altilij, & Iouiani proxima uatum
Regna tenet, Latia maior utroque tuba.
Huic comes & facili meditatur arundine Molsa
Naso tuos numeros, siue Tibulle tuos.
Naugeriusque idem pedibus, numerisque solutis:
Cuius erant linguis pectora culta tribus:
Naugerius Venetæ decus, & lux altera terræ,
Nunc dolor & gemitus Adria magne tuus.
Fas erat eloquio priscos æquare Quirites,
Ni iuuenis campos isset ad Elysios.
Hic etiam par Cotta tuo Verona Catullo:
Aureliusque sonans tangere doctus ebur.
Iulius hic prisca florens uirtute Camillus,
Lauroque, & Latiæ clarus honore togæ.
Tum quosdam in sola secretos prospicit acta
Artibus egregios, ingenioque senes.
(Omnes purpureo tecti capita alta galero
Impediunt canas fronde uirente comas)

Agnoscitque

Agnoſcitq; pio de pectore Contarenum.
Qua non Adriacis gloria maior aquis.
Fregoſiumq;, & Aleandrum tot laudibus auctos
Ingenij, & ſumma religione uiros.
Te uerò ante alios, te maxime Bembe ſalutat:
Agnoſcitq; bonis te Sadolete tuis.
In quibus & quicquid Dîuûm ſapientia pandit,
Et natura ſua conciliauit ope.
Felices, quos nec ſceleris contagia noſtri
Imbuerant uitijs nec mala ſecla ſuis.
Felices iterumq;, quibus ſua gratia uiuis,
Poſt etiam fatum gloria maior erit.
Nam uos nec liuor, nec amor labefecit habendi,
Nec ſtimulis flexit fœda libido ſuis.
Libera mens aderat, nulliq; obnoxia culpæ,
Et contenta ſuis conſcia uita bonis.
Hæc aderant uiuis, eadem hæc poſt fata ſequuntur,
Maxima quæ uirtus premia laudis habet.
Hic etiam, niſi fama fidem mentita feſellit,
Dij facite ut falſum dixerit illa mihi,
Fama meas utinam fruſtra nunc læſeris aures,
Et dederis rapidis irrita uerba Notis.
Hic tamen ò gemini fulges ſapientia iuris

Prò Superi, leges quantùm patiuntur & artes?
Quamq; luunt fatis inuida damna tuis?
Ne tantùm nobis diuini pectus Erasmi
Inuida mors, sacrum sustuleritq; caput.
Sustulit hæc eadem nostri duo lumina secli:
Te patriæ Zasi lausq;, decusq; meæ:
Te quoq; quem uarijs coluit sapientia linguis,
Quo duce Pegaseis ora rigantur aquis,
Te Budæe parem superis nunc fecit honore:
Nec te eadem tellus, quæ tenet ossa, premit.
Huic comites uidet è diuersi partibus orbis:
Longolium, & lacrymis irrigat ora pijs:
Longolium, cui si canos sua fata dedissent,
Non foret hoc linguæ maius in orbe decus.
Prò facinus, tantum decus inuidisse meorum
Ingenijs? tantum Belgica terra tibi?
Hunc iuxta Viuem lauri cognoscit in umbra,
Qui tamen ingenio uiuit ubiq; suo.
Hinc sua monstrantem crudelia uulnera Morum:
Hinc uidet alterius funera dira senis.
Heu scelus, heu crudele nefas, tune illa Tyranne
Lumina? tu sacros hauseris ense uiros?
Quis te Castalidum mites gustasse liquores
Credat? ab inferno pocula fonte bibis.
Illic nunc scelerate iaces, nam nulla piorum
Contigit Elysium sanguinolenta manus.

Sed ſcelerum ultrices Furiæ, ſed Cerberus ingens
Impia non una crimina peſte premunt.
Inde alios uidet, atq; alijs proſpectat ab oris:
Quem fouit dulci Norica terra ſinu,
Te Bilibalde: & te ſueterum Rhenane uirorum
Exemplar: patriæ lumen utrunq; ſuæ.
Linckius his tuus eſt ſimul additus, optime Vuolfi,
Qui tibi Theſeo iunctus amore fuit.
Hic memor ille tui nunquam facit irrita uota,
Vota facit ſummo non renuenda deo.
Teq; ſibi comitem longæ poſt fata ſenectæ,
Poſtq; Sibyllinos optat Eraſme dies.
At uos nunc tali fœlices funere Manes,
Quicunq; Elyſij iura tenetis agri.
Vobis parta quies: uobis æterna uoluptas,
Vitaq; non ullo diſſoluenda die.
Non ſcelera, aut noſtræ fertis contagia culpæ.
Nec fortuna ſuis legibus ulla premit.
Cernitis immenſi præſentes ora Tonantis,
Qua micat ætherei clarior aura poli.
Illinc (nam fas eſt) miſerati incommoda noſtra
Iungite nos ſummo pectora grata Deo.
Aſpicite. hinc, quotquot ſeruat Germania uates

Qualis ubi ad gelidas defleuit Strymonis undas
Eurydices Orpheus funera dira suæ,
Carmine, quod totidem respondet sylua querelis
Ingeminantq; amnes: ingeminantq; feræ.
Ipse eadem deflet crudelia fata Micyllus:
Quiq; Mineruæ tuum nobile nomen habet,
Hic annam uocat, ille pios Gertrudis amores
Suspirat noctes, conqueriturq; dies.
Ipsa mihi uisa est his lamentantibus unda
Pegasis attonito plenior isse lacu.
Visum etiam indigno nemus ingemuisse dolore
Parnaßi: & lacrymis concita saxa pijs.
Vos tamen ò lacrymis diuini parcite uates:
Parcite lanificas sollicitare Deas.
Non lacrymis fatum reuocauit coniugis Orpheus:
Non misera amissum Laódamia uirum:
Vos etiam meliore manet sors prouida fato:
Aspicitis casti pignora certa tori.
Hoc duri casus, miseriq; leuamen amoris
Aspicitis uestræ spemq; decusq; domus:
Tu quoq; flebilibus nimium miseranda querelis
Fata tui lugens tollis ad astra ducis
Stigelli, celsaq; sedens in rupe propinquas
Syrenas cantus flectis amore tui.
Nec sinit an tumidis curarum mersa procellis
Carmine te fastos reddere Musa nouos.

Macte

Macte tamen pietate tua, nam cuncta loquentur
Secula. quem patriæ nobilitauit amor.
Forsitan & uelis iterum mutata secundis
Fata dabunt studijs ocia grata tuis.
Et tu quid cessas cultis ornare Camænis
Principis, & patriæ tot decora alta tuæ,
Quid tam fœcundum concußit pectus Aconti?
Ne referat numeros docte Tibulle tuos?
Aemilium quæ causa pijs desistere cœptis
Cogit? & Aönias deseruisse deas?
Nunc quoq; quid nostras uehis impie rumor ad aures?
Te potius cœlo fulmina missa petant.
Scilicet oppressum morbo te Roma Lucreti
Nunc tenet, & sæuo membra dolore premit?
Abstineat mors atra precor. uos parcite Diuæ
Nunc rogo fatalem claudere uelle diem.
Scilicet Elysiumq; nemus, fluuiosq; tenebit
Tam citò? nec canas uiderit antè comas?
Hoc caput, hæc tantis exculta scientia rebus,
Quæq; sedet docto pectore Musa cadet?
Illa cadet mens alta? tacebit lingua diserta?
Verterit in cineres hæc simul una dies?

Quòd nihil ingenio, nil magnum effecimus arte,
Naturæ fuerat sors inimica meæ.
Non mihi signities, non altera caussa nocebit:
Illa facit spreto cogar ut esse loco.
Illa facit, ne te, imprimis quam semper amaui,
Aspicerem longo tempore Posteritas.
Forsitan & studijs eadem diuellet amicis,
Coget & insani rursus ad arma fori.
O mihi blanda quies, ò dulcis cura puellæ
Aönides uestro cogar abire sinu?
Deliciasne meas, & gaudia nota relinquam?
Et fugiam musis ocia grata meis?
Quisquis es ambitione, uel auri captus amore
Pierias ausus deseruisse Deas:
Ferreus, & scopulis, & duro robore natus:
Et fueras sæuis sæuior ipse feris.
Quo me cunq; tamen fato fortuna sequetur,
Vos ego fraterno semper amore colam.
Vestra legens monumenta, & docti pectoris artes
Ipse meam cogar sæpe dolere uicem.
Tu tamen ò nostri requies Loxane laboris,
Ingenijq; decus, præsidiumq; mei,
Perge bonas artes, Musasq; leuare iacentes:
Nulla tuæ maior gloria laudis erit,
Hæc tibi perpetuæ condens præconia famæ,
Virtutis meritum tollet in astra tuæ.

Sic tibi speratos Fernandus uiuat in annos.
Inq; domus crescat spemq;, decusq; suæ.
Ille tuæ quondam requies optata senectæ
Inter honoratos præstet honore uiros.

EPITAPHIVM ALEXANDRI
Vueissenhorn Typographi.

Sub isto Alexandri sepultum marmore
Corpus quiescit. at melior pars cœlitum
Vitam perenni mens agit cum gaudio.
Hoc rarus illi amor dedit cœlestium,
Et uita sanctis inuiolata moribus
Fidei tenax, amans boni, fugiens mali.
Hoc sat. bene illi tu precare, & ambula.

M. D. L.